

## 7. Ueber eine Sonnenfinsternis im J. 1133.

Die Hschr. des Britischen Museums Add. 20,696 enthält von gleichzeitiger Hand folgende später eingetragene Stelle:

Anno incarnationis dominicae 1133, 4. Non. August. facta est eclipsis solis, circa sextam horam. Ipso quippe sole a mane usque ad illam horam rubicundo ac turbulento, paulatim quasi per totam quintam horam universa vastitas aeris coepit tenebrescere, sole tamen acsi per nebulam adhuc lucente. Tum omnium haec intuentium clamor fit in coelum, universae aetatis, utriusque sexus fuga paratur, qui in agris aut silvis erant corruerunt, diem extremam has tenebras sequi in commune timetur. Iam enim solis splendore in nigerrimum orbem mutato, stellae clarissimae videntur, nocte vera tenebris crassantibus universa obducuntur. Tandem multis desperatis tamquam aurorae lux sensim coepit splendescere, sicque reddita die, mortales mortali redduntur vitae. Quod cum a nonnullis pro sola eclypsi duceretur solis, nos forsitan timore correpti, signum in sole factum esse suspicati sumus, praesertim cum, ut verbis beati Ieronimi utamur, defectus solis numquam nisi in ortu lunae fieri soleat. Plinius vero in libro naturalis historiae solem luna subeunte repentinas dicit obduci tenebras, set cum in scripulis partium congruant syderum motus, hic vero non in nova, set in 27<sup>a</sup> luna, non repente, set paulatim, non in eadem mediana linea sole et luna coeuntibus, proximis soli stellis, utputa Canicula, Orione, multisque aliis radiantibus, haec quam diximus eclipsis solis est facta. Sanguineus tamen color quid in proxima lunae eclypsi portenderit, in incomparabili nostri temporis ignis incendio experti sumus, ac per hoc de eodem in sole colore securi esse non possumus. Si autem opponitur, hoc anno propter saltum lunae majorem ipsam lunam videri in accensione quam computatur, ac per hoc in 27<sup>a</sup> luna primam haberi, vix concedimus, maxime cum necdum circuli decennovennalis terminus adeo instet, ut eandem lunae passionem per dictum saltum tantum accumulet. Querendum tamen est ab illis qui nos securos in hujusmodi terroribus facere nituntur, quo ordine, quo tempore verba Domini impleantur, ubi dicit: 'Erunt signa in sole et luna et stellis', et: 'Sol convertitur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis'. Si verba haec prophetae mystice sunt accipienda, Domini etiam quomodo non ad litteram accipiantur, non videmus.

## 8. Chronik des Johannes de Deo.

Dies bisher kaum bekannte Werk findet sich in der Handschrift des Britischen Museums Add. 19905, mbr. saec. XIII. fol. min. Quaternionen, mit rothen Buchstaben und Strichen, die 4 ersten Blätter eines jeden bezeichnet  $a \ a \ a \ a$

— = ≡ ≡